

CANTORATUM
NOVELLUM,

1674. A.

Quem
VIR

Præstantissimus Doctissimusq;

DN. ANDREAS
THESEUS,

Rektor & Cantor primùm Boleslav. per
Annos XI. deinceps Cantor & Collega Gymn.
Gorl. per Annos XXXII. ut fidelissimus, ita
dexterrimus, depontanus deniq; Senex
per Ann. IV.

Natus Boleslav. Anno clō Is XCIX. d. 15. Aug.
Denatus Gorlic. Anno clō Isc LXXIV. d. 25. Jan.

URANIÆ

in

*Angelico hodie Choro post varios vite casus eme-
ritosq; in hoc Orbe Scholicos labores*

vocatus tenet,

gratantur

GYMNASII GORLIC. MAGISTRI,

Collegæ olim olim conjunctissimi.

GORLICI

STANNO ZIPPERIANO.



YYY123

XX

Ad
B. DN. ANDR. THESEUM,
Collegam suam olim olim
conjunctis.



THESEU, melica Decus olim Fa-
mae Gentis,
Delicium Charitum Pimplidamae
gregis,
Laus cujus nomeng, in posteritate ma-
nebant,

Quemq, bonum Melicum Fama loquetur anus:
Donec erunt Musa, & Charites, & Cantor Apollo,
Donec dulce canet Musica turba melos:
Post scholicos superatos emeritosq, labores
Emeritus tandem claudis in Orbe diem!
Claudis in Orbe diem, posthac victurus in avum,
Hymnicini factus qui nova Fama Chori.
Inde Tibi ex animi jam Spartam mente novellam
Grator, & extremum nuncupo in Orbe V A L E.

*Autogidiari inter occu-
pationes sacras.
f.*

CHRISTIANUS FUNCCIUS,
Gymn. Gotl. R.

Ergo

Ergo dies exple fatales, Optime THESEU,
THESEU, Nestoreos vivere digne dies:
Ac desiderium vab! triste Tui rellinquis?
Rellinquis sanè, Vir venerande, Tuis.
Hinc dolor, hinc lacruma, hinc lacrumis suspiria
mista,

Cordivori luctus qua documenta, fluunt.
Ergo sarcophagus limata munera mentis
Condit? vab! Condit. Luget Apollo catus:
Ardalides lugent: colluget Musica turba:
Qua pendere olim sœvit ab ore Tuo.
Sed Tu plenus abis annis, ac plenus honore:
Ex merito qui Te post pia fata manet.
(Judicium nec enim moror heic ignobile vulgi:
Cui Praceptorum temnitur ordo nimis.)
Qui, qui non etenim in Scholico Tibi pulvere
prompto

Est exantlatus pectore saepe labor!
Discipuli memores memori quem voce celebrant:
Atq, hinc ellogiis Te super astra ferunt:
Nominis utq, Tui laus semper in ore Bonorum
Versetur, tumulto hac verba suprema sacrant:

A 2

HIC

Plin. lib. 2.
Epist. 1.

HIC JACET EXIMIUS DOCTOR FI-
DUSQUE JUVENTÆ:
QUEM PIETAS, CANDOR, MUSA
PERIRE VETAT.

*Viro de Juventutis Scholasticæ
studiis præclarè merito
συλλυπέμεν & scribebat*

M. ABRAHAM VECHNERUS.

Ad

B. defunctum

DN. ANDREAM THESEUM,

Virum meritis in Scholas
Clarissimum,

Προσφώνησα.

POST devoratas pulvere in Scholastico
Per bis quaterna lustra, & amplius, grave
Volvendo saxum Sisyphi, molestias,
Laboribus tot atq; tantis subtrahi,
Rudemq; ab Editore Maximo, DEO,
Tandem impetrare, Musices Decus optimum,
Honorq; Peithūs melteæ spectabilis,
THESEU, mibi colende plurimam Senex,
Tua crebrior quæsierat precatio.

Et,

Et, ecce! voti reddidit Te compotem
Diutiùs nolens morari Numinis
Favor: Scholare dum Tibi exuit jugum
Abhinc ferè quinquennium. Triennium
Abhinc pari cum WANCKIO Clarissimo
Rude expetebas cœlitùs donarier,
Vitaq; solvi vinculis senilibus.
Piis nec hisce defuit suspiriis
Ille Arbiter labentis avi æquissimus.
Mereris ergo ter quaterq; dicier
Beatus: alteram Tibi quum sumferis,
Clementiâ favente cœlicâ, Rudem,
Rudem, quietis haud fugacis indicem.

*Ex debito pietatis officio
αὐτοῦ ἐδ. conscriptum
à*

MARTINO RICHTERO,
Con-Rect.

Hic concinnâsti crîspo Tu psalmata gyro,
Vibrâstiq; asso cantica multa sono.
Te nunc atheriùm, Theseû dilecte, Phonaścùm
Præses in Elysios advocat ipse locos:
Inter ut hos etiam semper festiva figures
Cantica, & harmonicas voce vibrante notas.

A 3

Scil-

Scilicet innumerum post tedia tanta laborum
Perpetua requie Te recreare cupit.
Andrea nomen gessisti iure Virile:
Nam Tu fecisti plurima digna Viro.
Andreas Tu verus eras; cum rostra faseli
Sacra spurcaret gens malefana Papa.
Linguere malebas Spartam vitamq; nociva
Foedi Papatus quam documenta sequi.
Andrea tales, cheu! non dantur ubiq;
Qualis tu fueras, dum Tibi vita fuit.
Edicta haud pauci, Babylon quis pessimos orbem
Itala, subscribunt non remorante manu.
Casibus in variis lata fortisq; maligna
Prestabas fortem Te quoq; sapè Virum.
Exeruit se vis animi, Vir amande, Virilis,
Ante diem raperet cum Libitina Tuos.
Theseus, Hippolyti genitor, fuit amulus usq;
Herculis: hinc subiit sapè laboris onus.
Sic habuit noster Theseus quoq; nomen & omen;
Herculei subiit namq; laboris onus.
Tanto pradores Theseus perstrenuus olim
Non infectatus forte labore fuit:
Quanto defunctus Theseus est iste: Conistram
Gymnade nam trivis fervidiore Schola.

Cum

Cum puero res huicce fuit, quo nulla ferarum
Intractabilior, dicit ut ipse Plato,
Ævo lassatus ceu Theseus atq; labore
In Scyro subiit fata suprema necis:
Sic operis Scholasticus Noster confectus & annis,
Dixit supremum voce gemente Vale.
Et ceu Pirithoo, qui regia sceptrata tenebat,
Cecropius Theseus usq; fidelis erat:
Sic quoq; Pirithoo caelesti tempus in omne
Theseus servavit noster in orbe fidem.
Foedus amicitiae quod panxit in Amne sacrato
Hoc cum Pirithoo, durat in arce poli.
Felix, Andreas qui verus in orbe, suaq;
CHRISTO Thesea iungitur usq; fide!

Suo olim Praeceptor, Minerval caeleste
adepto, ultimi honoris ergo
gratulaturus scribebat.

ANTONIUS SCHMIDT

Mors est dura malis, credentibus aspera non est:
Horrescit mortem, qui male vixit homo.
THESEUS at moriens tranquillo fine quievit,
In Christo clausit pectore ovante diem.
Sic mors conveniens vitae fuit: ultima primis
Respondent: Sanctos mollia fata manent.

C. M. C. M. D.

E71-

ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ.
EUGE. DIU. DUROS. BONE. PASSUS.
SERVE. LABORES.
INTRA. NUNC. DOMINI. GAU-
DIA. VERA. TUI.

Parab.
M. S.

ANDREAS THESEUS

ἀναγραμματισθῆς:

SANATUS: DESERE.

Christi ad beatè Defunctum alloquium.

Vulneribus nostris verè SANATUS es: istum,
DESERE nunc mundum, gaudia mille cape.
ANREAS THESEUS

per Anagramma:

SANE SERTA DEUS.

*Explevi SANE cursum, nunc letor in axe,
Gloria inexplicita dat mihi SERTA DEUS.*

EPITAPHIUM.

ANDREAS THESEUS, recubans hac molliter urnâ,
Expectat reditum, Christe benigne, tuum.
*Olim Cantor erat, nec non Collega Lycei,
Hic ubi Gorlicios Nissus inundat agros.*
*Ornavit Spartam, dum vixit, utramq; canendo
In templo, & pueros instituendo rudes.*

Ille,

*Ille, satur vita, concessit in atheris aulam,
Inter & Angelicos cantat, oratq; choros.*

THEOPHILUS VECHNERUS.

Vitæ humanæ ὑπερῶτα.

Vita quid est? Labor est, consternens pectora
Mæror,

Est Dolor excrucians, est Seges ampla mali.

*Vita quid? Est Gramen viridans, ubi Phæbus
ab ortu*

Surgit, at exuccum sole cadente jacens.

*Vita quid? Est Vitrum Crystallo purius, ictu
Contusum valido quid nisi pulvis erit?*

*Vita quid? Est Malum Sodomorum, quod ru-
bet extrâ,*

Intus sed sordes, illuviesq; latent.

*Vita quid est? Sonus est, hilarat qui pestara mæsta,
Ast in momento transvolat atq; perit.*

*Vita quid? Est Lusus Fortune. Nam nihil Orbe
In toto constans, nilq; perenne manet.*

*Dicendus quare est infelicissimus ille,
Quem Vitâ in fragili spem posuisse jurat.*

f. 2
GREGORIO SCHÖNIO.
Sonnet.

Sonnet.

So ist nun seine Seel auß Ihrem Kerker gangen
In Ihres Christus Schoß? Sind die beschneiten Haar
In einen Sarg gelegt? Ist auff die Todens Baar
Sein schwacher Leib gesetzt? Sol Ihn ein Grab umbfangen
Herr Theseus? Freylich ach! ich seh die Harffe hangen
An dem Cypressen Stock / weil bey der Engel Schaar
Der / der sie rührte / sist. Sein Thon / der lange Jahr
Hat unser Chor geziert / klagt seine blasse Wangen
Verstümt und unbeseelt. Muß unser Gottes Haus
Ihn unlängst mit Verdruß / O Seeliger / gleich missen:
(weil seiner Glieder Krafft geraubt des Alters Schnee)
Glaub Er doch: daß sein Nahm in unsern Herzen sich.
Nun wird sein süßer Thon die Ewigkeit begrüßen.
Wol dem / der gleich wie Er die Seele bläset aus!

Alexander Vogel/
coll. IX.

Omnium versatur urna.

Humanæ tandem complevit stamina vitæ:
THESEUS, & placidâ morte preemptus obit:
Diversos postquam toleravit in Orbe labores.
Terreus est ortu, terra recondit eum.
Quamvis in terrâ vivat quis Nestoris annos;
Hunc tamen omniparens terra cubile manet.
Usq; ad eò in terrâ nihil immortale tenemus:
Omnia dispositis legibus ire vides.

Perru-

Pertulit hic, operis scholicis confectus & ævò,
Vitæ, quam gessit, tædia multa suæ.
Sed patiendo tulit, tandem patiendoq; vicit
Innixus CHRISTO firmiter ille fide.
Jam fors nulla ferox, tristis mors nulla, nec ullus
Mars ferus, aut quicquid triste, nocebit ei.
Nil nocet ergò piis, licet affligantur in Orbe,
Dum datur in Cœlò perpete pace frui.
Nil nocet, extinctum multos tolerasse labores
Cantorem, dum jam molliter ossa cubant.
Hunc nos leugemus: sed quid lamenta juvabunt?
In Dominò vitam, cui benè vixit, habet.
Ergò licet noster tradatur THESEUS urnæ:
Attamen in terris fama perennis erit:
Illius nitidis nomen scribetur in Astris:
Quodq; solò vixit, vivet & inde Polò.
In Cœlò accipiet defunctus præmia gratis
Pro curâ Templi, proq; labore Scholæ.

Hoc
Beatis piè defuncti DN. THESEI,
sui olim Præceptoris, Ma-
nibus fecit

MARTINUS HEMPELIUS, Moscov. Lus.
Chori Mus. Præf.

Heu rapuit, rapuit jus irrevocabile mortis
THESE A, qui docti præfulgidæ gloria Phæbi,
Et

*Et nostri quondam non ultima fama Lycei!
Nonne hunc cana fides, pietas, & plurima dona
A luscâ potuere illâ servare Tyranna?
Non potuere. Adeò non parcit Parca senectâ:
Tempora florentis quoq; demetit ense juventa.
Sed bene! Nam superi suscepit regia Cœli
Defunctum: cujus nunc mens nova gaudia sentit:
Aligerùmq; Choris collaudat mista JEHOVAM.
Ergò igitur summos ipsi congrator honores,
Et mollem exuvii precor, & sine pondere terram.*

Quæ paucula *συμμάχων*
apposuit

GOTHOFREDUS SCHMIDIUS,
Schol. Patriæ Alumnus.



Konserw. i oprawę wyk.:

Krystyna Opala

(1985)



Schidel Johann

MF 42113

Oda Parentalis, Tetrastrophos, ê puris sapphicus hendecasyllabis adornata,
& [et] consecrata manibus [...] Catharinae [...] Nicolai Bicci [...] decrepitae.
Quae 18. Ian. Anni Instantis 1611 [...] Naturae debitum persolvit, inq;
coeleste baeatorum receptaculum commigravit [...].

Budissinae, Typis Nicolai Zipseri, 1611. 4°

Wrocław BU 444098

MIKROFILM 35 mm

negatyw - 1+1 zwoj

pozytyw ----- zwoj















